Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31239
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

e fuisse. easque omnes enumeravit sub auctoribus: qui de singulis scripta
verunt. ¶ Primam fuisse de persis. cuius mentionem fecerit Nicanor: qui — Sybillae .x.
res gestas alexandri macedonis scripsit: ¶ Secundam libissam: cuius — I. Librum
meminerit euripides in lamie prologo: ¶ Tertiam delphicam: de qua — II.
crysippus loquitur in eo libro: quem de divinitate componit: ¶ Quar- — III.
tam. cumeam in ytalia: quam Nevius in libris punici belli piso in annali — IIII.
bus nominet: ¶ Quintam erythream: quam Appollodorus erythre- — V. Apollodorus
us affirmet suam fuisse civem. Eamque grais ilium petentibus vaticinatam
et perituram esse troiam. et Homerum mendatia scripturum. ¶ Sextam — VI.
samiam: de qua scribit Erathostenes in antiquis annalibus samiorum repe
risse se scriptum. ¶ Septimam cumanam nomine Amaltheam: que — VII.
ab aliis Herophile vel demophile nominetur. Eamque novem libros attulisse
ad regem tarquinium priscum. Ac pro his trecentos philippeos postulasse: regemque aspernatum precii magnitudine derisisse mulieris insaniam: Illam in con
spectu regis tres combussisse ac pro reliquis idem precium poposcisse: Tarquinium
multo magis insanire mulierem putasse: que denuo tribus aliis exustis cum
in eodem pretio perseveraret: motum esse regem: ac residuos trecentis aureis
emisse: quorum postea numerus sit auctus capitolio refecto: quod ex omnibus civi
tatibus et italicis et graecis et precipue erithreis coacti allatique sunt romam:
cuiuscumque sybillae nomine fuerint: ¶ Octavam ellespontiam in agro — VIII.
troiano natam vico marmesso circa opidum gergithium: quam scribit
Heraclides ponticus solonis et cyri fuisse temporibus: ¶ Nonam phrygiam — VIIII.
quae vaticinata sit Ancyrae. ¶ Decimam tyburtem nomine albuneam: — X.
quae tiburi colitur: ut dea iuxta ripas amnis anienis: cuius in gurgite
simulacrum eius inventum esse creditur. tenens in manu librum. Harum
omnium Sybillarum carmina et feruntur et habentur preterquam cumee:
cuius libri a romanis occultantur: nec eos ab ullo nisi a xv. viris inspici
fas habent. et sunt singularum singuli libri. qui quia sybillae nomine
inscribuntur: unius esse creduntur: Suntque confusi nec discerni ac suum
cuique assignari potest: nisi erithreae: que et nomen suum verum carmini
inseruit. et erithream se nominat: ubi prolocuta est: cum esset orta babilone.
Sed et nos confuse Sybillam dicemus: sicubi testimoniis earum fuerit abuten
dum: Omnes igitur hae sybillae unum deum predicant: maxime tamen
erythrea: que celebrior inter ceteras ac nobilior habetur. Siquidem fenes — Fenestella.
tella diligentissimus scriptor de quindecim viris dicens ait: restituto capito
lio retulisse ad senatum. C. curionem consulem: ut legati erythras mitte
rentur: qui carmina sybillae conquisita romam deportarent: Itaque missos